



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 61. Firma Cleri sententia de Navarræ Rege a successione excludendo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1588.

ria videatur. VIII. denique tam celebris, ac prudentis confessus ex nobilissimis Regni Viris conflati honor exigit, ut res mature, eaque ratione agatur, ne ipsius zelus, aut minus ordinatus, vel immoderatus, sed pietate, judicio, & circumspèctione repletus videatur.

§. LXI.

*Firma Cleri sententia de Navarra Rege a successione excludendo.*

*Davil. l. 9.* *Thuan. l. 93.* *Spond. n. 17.* Postquam Navarræ Regis declaratio unacum Henrici III. additionibus, seu notis Ordini Ecclesiastico communicabatur, hic ita respondit: I. Jam læpius Navarræ Rex monitus, vocatus, atque ab ipsa Matre Regina in prioribus comitiis requisitus fuerat. II. Postquam Concilium Tridentinum, quod est Oecumenicum, sectam hujus Principis anathemate notavit, inutile evadit, alia convocare Concilia. III. Jam sufficienter Rex a Borbonio Cardinale Patruo suo edoctus est, & nihilominus ad pristinos suos errores rediit. IV. Denique a Papa tanquam hæreticus, & relapsus publice proscriptus est: non ergo necesse, ut rursus citetur, vel aliæ adhibeantur juris solemnitates, sed unica absque ulteriori mora ea, quæ antea decreta sunt, in opus deducenda veniant. Hoc Cleri responso a ceteris Ordinibus



dinibus approbato Embrodunensis Archiepiscopus Regi referebat, quod omnes Ordines regiae Majestatis suae propositionibus mature pensitatis in priori sua sententia persisterent, hacque super re edictum fieri rogarent. Adhæc Rex indignationem, quam ob hoc comitiorum statutum concepit, dissimulavit, & petitem edictum confici pollicitus est, attamen sub diversis obtentibus moram ex mora neçtere studuit.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1588.

§. LXII.

*Rex Guisum Ducem crudeliter trucidari præcipiens.*

Paulo post Henricus Franciæ Rex Guisum Ducem, quem omnium harum propositionum Auctorem reputabat, a sicariis in ipso regio cubiculo trucidari præcepit, eodemque tempore Guisum, & Borbonium Cardinales, Lugdunensem Archiepiscopum, Jonvillam Principem, Ellobovium, & Nemorsium Ducem, Annam Estensem Nemorsii Ducissam Guisiorum Matrem, Brissacum, Sylva-Delphinum, pluresque alios Proceres comprehendi jussit: idem quoque fatum Neuillius Præses, Capella-Martellus Mercatorum Præfectus, urbis Parisinæ Deputati, ambo Ædiles Companus, & Cottablanchius, necnon illi, qui extra arcem morabantur,

tur,